Toletana Canonicatus
Super Declaratoria.

Stantibus &c.

Dubium = *An sit danda declaratoria in casu &c.*

1 **Reu. Pater.** CVm in Ecclesia Toletana adsit Statutum rigorosum circa Sanguinis puritatem, iuxtà cuius tenorem Prouisi de Canonicatibus etiam per Sedem Apostolicam debent præsentare Reuerendissimo Capitulo titulum suarum Prouisionum, vna cum genealogijs suorum Progenitorum tam ex parte Patris, quam ex parte Matris, hinc cùm Don Ioseph Fernandez Iubera Sacerdos Seguntinus fuisset à Sede Apostolica prouisus de Canonicatu in Sancta Ecclesia Toletana, & præsentasset in Capitulo titulum suæ Prouisionis vnà cum genealogia suorum Progenitorum, Reuerendissimum Capitulum deputauit vnum ex Canonicis, cui adiunxit Notarium, ad effectum conficiendi Processum super puritate Familiæ dicti Domini Principalis, qui se contulit ad Ciuitatem Seguntinam, & ad Villam Matriti, aliaque Loca, & cæpit omnes possibiles informationes, tam mediante Testium examine, quam etiam mediante compulsatione Scripturarum, & Instrumentorum, compilato Processu per dictum Canonicum informantem, hic *sub die* 27. *Nouembris* 1712. mandauit Notario, vt Processum clauderet, cùm nihil aliud agendum superesset, prout fuit clausus, & sigillatus, & præsentato dicto Processu in pleno Capitulo Toletano, licèt ex illo non solùm nulla appareret macula infectionis, sed plenissimè constaret de conspicua, & antiqua Nobilitate, & puritate Familiæ Domini Principalis, adhùc tamen Reuerendissimum Capitulum post dicti Processus examen, decreuit probationes non esse completas, subterfugium excogitatum ad effectum ne Dominus Principalis ad possessionem Canonicatus admitteretur, & habita per Dominum Principalem præcitati Decreti notitia, appellauit ad Sedem Apostolicam, ex quo illi iniustè per Capitulum denegata fuisset dicti Canonicatus possessio, & mediante Commissione signata manu Sanctissimi, obtinuit Causam appellationis, ac super executione suarum litterarum committi bon. mem. Lancetta, coram quo expeditis Litteris citatorijs, & inhibitorijs, ac compulsorialibus, illæ fuerunt Reuerendissimo Capitulo notificatæ, & Capitulum ferè per spatium duorum annorum extra-

dere recusauit copiam dicti Processus informatiui, tandem illo ad Vrbem transmisso, dictum Reuerendissimum Capitulum statim ad Vrbem oblegauit vnum ex Canonicis, qui nomine ipsius se opponeret exequutioni Litterarum Apostolicarum; quo circa traducto Processu compilato per Canonicum informantem, subscriptum fuit coram Reuerendissimo Lancetta Decano Dubium - *An litteræ Apostolicæ essent exequendæ*, quo in hoc Supremo Auditorio proposito *die prima Julij* 1716., pro exequutione Litterarum Apostolicarum prodijt resolutio, *Summario num.* 2. *litt. K.*, & post decretam Causæ expeditionem publicata fuit à bon. mem. Reuerendissimo Lancetta Sententia super exequutione dictarum Litterarum, & pro effectu exequutionis mandauit illum immitti in possessionem veram, actualem, & corporalem dicti Canonicatus, eiusque fructuum, reddituum, & prouentuum quorumcumque, vt pleniùs ex *Summario num. 2. litt. N.*, & fuit condemnatum Capitulum ad restitutionem fructuum dicti Canonicatus à die denegatæ possessionis, vsque ad diem quo illi extraderetur Canonicatus possessio, *Summario dicto num.* 2. *litt. O.*

2 A' præcitata Sententia Reuerendissimum Capitulum Toletanum habuit recursum ad Signaturam Iustitiæ, & obtinuit signari Commissionem appellationis cum clausula = *Alteri qui ad legitimam*, quæ Commissio præsentata fuit bon. mem. Ansaldo, *Summario dicto num. 2. litt. T. & V.*, coram quo subscripto Dubio = *An esset procedendum ad legitimam*, eoque proposito *die 13. Martij* 1717. affirmatiua prodijt resolutio, *dicto Summario num.* 2. *litt. B.B.*, & post decretam Causæ expeditionem fuit à bon. mem. Ansaldo interpositum Decretum pro exequutione Sententiæ Reuerendissimi Lancetta *die 5. Iulij* 1717., *dicto num.* 2. *litt.D.D.*

3 Habuit recursum Agens Reuerendissimi Capituli ad Signaturam Gratiæ, & ab ea ad sui fauorem decerni obtinuit Litteras Compulsoriales speciales cum termino sex mensium ad effectum compulsandi nonnllos Processus ex Collegio Sanctæ Crucis, & Sancti Idelphonsi, idque ad solum effectum retardandi exequutionem Litterarum Apostolicarum, quodque durante dicto termino in Causa supersederetur, & Agens Reuerendissimi Capituli pluries obtinuit dicti termini prorogationes, & Causa interim silebat, de quibus admonitus Principalis, qui reperiebatur exercens munus Inquisitoris Regni Murciæ in Ciuitate Carthaginensi procurauit licentiam à Generali Inquisitore Regnorum Hispaniæ, ad hoc vt posset se conferre ad Vrbem pro defensione suæ Causæ, & honoris, quæ benignè illi concessa fuit non solùm cum consueto salario, sed etiam cum præheminentijs, & antiquitate, perinde ac si in dicto munere resideret, & sibi fuit concessa

cessa ad annum, *Summario Additionali numer. primo litt. D.*, quam licentiam obtinuit pluries prorogari, *dicto num. primo litt. E., & seqq.*, & discessit vigore dictæ licentiæ à Ciuitate Carthaginen. *die* 4. *Maij* 1721., *dicto Summario num. primo litt. C.*; Cumque ad Vrbem peruenisset reperijt, quod Capitulum nouum recursum interposuerat ad Signaturam Gratiæ, ad effectum obtinendi facultatem compulsandi ex omnibus Archiuijs Regnorum Hispaniæ omnia documenta, quæ concernere possent puritatem, vel impuritatem Familiæ Domini Principalis, sed huiusmodi Instantia Signatura Gratiæ reiecit, & solùm concessit Reuerendissimo Capitulo Toletano facultatem, vt posset vti prima Compulsoria cum termino aliorum sex mensium, quem terminum prorogari obtinuit ab Illustrissimo Auditore Sanctissimi. Cùm autem vigore dictarum Compulsorialium specialium in decursu quatuor annorum Reuerendissimum Capitulum nihil penitùs compulsauerit, vt refertur in Litteris exequutorialibus, *dicto num.* 2. *litt. F.F.*, hinc dictus Illustrissimus Auditor signari decreuit Commissionem directam huic Sacro Auditorio cum clausula = *Alteri qui ad vlteriorem legitimam*, quæ Commissio signata fuit manu Sanctissimi, & directa bon. mem. R.mi Herrera tùnc Sacræ Rotæ Auditori, coram quo duo fuerunt subscripta Dubia, vnum = *An sit procedendum ad legitimam* = alterum = *An esset concedenda compulsoria specialis.* Cùm autem d. Reuerendissimus Herrera electus fuerit Episcopus Seguntinus fuit subrogatus Reuerendissimus Ponens, & Capitulum in plena Rota institit pro subscriptione aliorum Dubiorum, sed rescriptum fuit = *disputentur Dubia subscripta*, quibus propterea propositis per Reuerendissimum Ponentem, ad primum responsum fuit = *esse procedendum ad legitimam executionem*, & quoad secundum = *non esse concedendam Compulsoriam*, quæ resolutiones prodierunt *die* 11. *Ianuarij* 1723., & sunt de verbo ad verbum transcriptæ in dictis litteris exequutorialibus *dicto num.* 2. *litt. LL.*, atque decreta fuit Causæ expeditio; Et licet Reuerendissimum Capitulum Toletanum recursum habuisset ad Reuerendissimum Auditorem Sanctissimi pro obtinenda Signatura noue Commissionis decreta fuit illius Signatura dumtaxat in deuolutiuo, mediante clausula *sine præiudicio* in cuius sequelam expeditæ fuerunt litteræ exequutoriales quæ fuerunt ReuerendissimoCapitulo notificatæ *die* 14. *Settembris* 1723., qui respondit sibi fuisse notificatas exequutoriales ad effectum, vt Domino Principali extraderet possessionem Canonicatus, vtque consignaret fructus à die denegatæ possessionis, & respondit, quod metu censurarum erat paratum obedire *sine præiudicio* statuti Puritatis, & reseruato Iure prosequendi litem in deuolutiuo, & esse paratum extradere Domino Principali, siue illius Procuratori speciali di-

cti Canonicatus possessionem *dicto num. 2. litt. D. D. D. D.*, & *E. E. E. E.*, prout dictam possessionem extradidit Procuratori Domini Principalis *dicto Summario num. 2. D. D. D. D. D.* sed in actu dictę possessionis proclamare fecerunt à Secretario Reuerendissimi Capituli alta voce protestationem infamatoriam super prætensa impuritate Principalis, ac super prætensa Iniustitia Sententiarum huius Supremi Tribunalis, quodque Principalis eas obtinuerat mediantibus negotiationibus, & alijs medijs illicitis, vt liquet de dicta proclamatione *dicto num. 2. litt. F. F. F. F. F.*,& protestatio est in eodem numero transcripta *à litt. F. F. F. F. vsque ad B. B. B. B. B.*, illamque ad perpetuam rei infamiam etiam registrari mandarunt in libris Reuerendissimi Capituli *Summario dicto num. 2. litt. C. C. C. C. C.*, cumque Procurator Principalis in exequutionem d. d. litterarum exequutorialium instetisset consignari fructus à die denegatæ possessionis, vsque ad diem captæ possessionis, respondit Capitulum non teneri ad d. d. fructuum restitutionem ex quo iuxta statuta Ecclesiæ producenda in Sacro Rotæ Auditorio fructus dicto Domino Iosepho non debebantur, ex quo residentiam non fecerat in scamno Patientiæ, *dicto num. 2. litt.* K. K. K. K. K.; Intereà verò Commissio in deuolutiuo à Sanctissimo signata cum dicta clausula = *sine præiudicio executionis* = commissa fuit R̃mo de Gamaches, coram quo fuit subscriptum Dubium = *An constet de Re Iudicata, vel potiùs de causis*.

4 Cùmque peruenissent ad Vrbem præcitatæ Litteræ exequutoriales cum dictis notificationibus, & seruatis solitis terminis ad docendum de paritione, subscriptum fuit Dubium = *An constet de paritione, vel potiùs esset relaxanda declaratoria*, & ad instantiam Reuerendissimi Capituli fuerunt producti articuli ad effectum probandi consuetudinem non extradendi fructus Canonicatus litigiosi, nisi tempore, quo fiebat Processus informatiuus, Prouisus residentiam faceret in scamno Patientiæ, & nisi fecisset residentiam certo anni tempore, & proindè subscribi curauit Dubium = = *An esset concedenda Remissoria*, quibus propositis à Reuerendissimo Ponente *die* 14. *Ianuarij* 1724. quoad primum responsum fuit = *non constare de paritione, & relaxandam esse declaratoriam iuxta modum*, & modus fuit, vt relaxaretur declaratoria ob non solutionem fructuum à die denegatæ possessionis, vsque ad diem captæ possessionis, vtque publicè, & palam obliterarent, & cassarent dictam protestationem cum termino trium mensium ad parendum, vt pleniùs *ex Decisione super Declaratoria, quam impressam distribuimus*, & quoad Dubium Remissoriæ, rescriptum fuit = *Non esse concedendam*, & ex altera *Decisione, quam pariter impressam distribuimus*, & subindè *die* 14. *Februarij* 1714. propositum fuit Dubium in deuolutiuo à Reuerendissimo

rendissimo Gamaches, & resolutum = *Constare de Re Iudicata*, vt *ex altera Decisione, quam pariter impressam distribuimus*, & post decretam vtriusque Causæ expeditionem, publicata fuit Sententia declaratoria cum termino trium mensium ad parendum à die notificationis, qua expedita, & transmissa ad Partes, tandem Capitulum anno præterito obtemperauit, soluit dictos fructus, & obliterauit dictam protestationem, hinc fuit quoque expedita Causa in deuolutiuo coram Rmo Gamaches, & in exequutionem Rei Iudicatæ taxatæ expensæ.

5 Terminata hac Causa etiam in deuolutiuo de mense Aprilis anni elapsi Canonicus Commissarius Reuerendissimi Capituli discessit ab Vrbe, prout quoque discessit ab Vrbe Dominus Principalis, & redijt ad exercendum suum munus Inquisitoris in Regno Muciæ, ac ad Tribunal Inquisitionis se restituit *de mense Augusti* 1725. *Summario Additionali num. primo litt. I.*

6 Post solutos à Reuerendissimo Capitulo fructus pendente lite decursos *de mense Septembris anni* 1723., post extraditam dicto Domino Principali possessionem, non amplius fructus, ac distributiones eidem persoluerunt, & sic ferè per tres annos; Et quamuis plures Epistolas dicto Reuerendissimo Capitulo conscripsisset, vt dignarentur ipsi fructus sui Canonicatus persoluere, nullum habere potuit responsum, quo circà cogitur Principalis iterum huic Supremo Auditorio pro noua declaratoria supplicare, sine qua fructus sui Canonicatus consequi non sperat, quo circa reproductis, siuè repetitis in Actis Litteris Exequutorialibus, & seruatis consuetis terminis ad docendum de paritione, *Summario Additionali num.* 2. *&* 3., subscribi curauit Dubium præinsertum, quod cùm in Rota hodierna proponi contingat, supplicamus rescribi = *concedendam esse Declaratoriam.*

7 Quandoquidem, cum in sententijs, & litteris fauore Principalis publicatis non solum concessa fuerit immissio ad Canonicatum, sed etiam immissus fuerit in possessionem omnium fructuum, redditTuum, distributionum, & Emolumentorum quorumcumque *Summario Principali num.* 2. *litt. N.*, Cumque in literis executorialibus fuerit ab hoc Supremo Auditorio Reuerendissimo Capitulo mandatum, vt sub pæna excommunicationis exequerentur omnia, & singula in dicta sententia contenta *dicto num.* 2. *litt. P. Q.*, *& R.*, vtique eo ipso quod Reuerendissimum Capitulum consueta contumacia licet extradiderit Principali Canonicatus possessionem de Mense Septembris 1723. cum tamen illi fructus non persoluat, non dicitur litteris exequutorialibus obtemperare cum non sufficiat extradere nudam, & simplicem possessionem Canonicatus, nisi etiam fructus post traditam possessionem ex-

tra-

tradiderit, cum alias possessio esset verbalis, & de vento, vt dixit *Rota coram bo. me. Ansaldo dec.51.num.3., & 4.*, & ex eadem causa, ex qua post traditam possessionem, Capitulum fructus non extradebat relaxata fuit declaratoria in *Wormaticen. Decanatus 13. Maij 1709. coram Reuerendissimo Crispo, & in Augustana Canonicatus super aggrauatoria 26. Iunij 1722. coram bon. mem. Lancetta §. Et quod attinet*, & quemadmodum hoc Sacrum Tribunal declaratoriam contra Reuerendissimum Capitulum relaxauit, ex quo iuxta formam litterarum exequutorialium non persoluit D. Principali fructus, & distributiones pendente lite decursos, vt ex *decis. super declaratoria 14. Ianuarij 1724. §. Rursus*, qua mediante illos persoluit, ita etiam contra idem Capitulum relaxari debet declaratoria, dum Principali non persoluit fructus, & distributiones decursas post extraditam possessionem de mense Septembris 1723. vt ex *Summario Principali numer. 2. litt. D. D. D. D. D.* Cum enim Reuerendissimum Capitulum in terminis ad docendum deparitione contra ipsum seruatis, vt ex *Summario Additionali num.3.* non docuerit fructus post captam possessionem decursos persoluisse, decernenda omninò videtur declaratoria, vt contra idem Reuerendiss. Capitulum Toletanum dixit *Rota coram sa. me. Alexand. VIII. decis. 75. num.3., & decis.308.* post secundum volumen *Farinacc.*, & *coram Reuerendissimo Ponente die 14. Ianuarij 1724.* quam impressam distribuimus.

8 Non obstante, quod Reuerendissimum Capitulum non teneatur D. Principali extradere fructus sui Canonicatus, ex quo post extraditam Procuratori D. Principalis possessionem d. Canonicatus, non se contulit ad residentiam sui Canonicatus, quodque proinde non teneatur illi fructus extradere, qui residentibus, & Ecclesiæ inseruientibus de Iure debentur, non autem absentibus, & Ecclesiæ non seruientibus, cum in Ecclesijs Cathedralibus Regnorum Hispaniæ omnes fructus in distributionibus consistant, scilicet in massa grossa quæ certis anni diebus inter Canonicos per Capitulum distribuitur, & in distributionibus quotidianis.

9 Quandoquidem Capitulum tenebatur fructus, & distributiones sui Canonicatus persoluere D. Principali quãuis in Ecclesia residentiã non fecerit, & quidem dd. fructus, & distributiones D. Principali extradere tenebatur per totum tempus, quo fuit in Vrbe commoratus prò defensione sui Canonicatus cum tunc dicatur abesse ex causa legitima, & à Iure approbata, habemus *Textum expressum in Cap. ex parte il secundo de Clericis non residentibus*, vtique absenti pro defensione Prouisionis sui Canonicatus debiti sunt fructus, & distributiones, vt in specie probant *Barbos. de Canonic., & dignita.. cap.24. num.25.*, & de officio, & potestate Episcopi *alleg.53. num.172. Pignatell. consultat.150. nu.1. tom.4.*

Adden.

Adden. ad Gregor. dec.341. litt. A. Rota coram Seraf. decis.1098. num.5., & dec.467. num.1. par.1., & dec.689. num.3. par.3., & in Wormartien. Decanatus 13. Maii 1709. §. Et quamuis cor. Rmo Crispo.

10 Indubitanter, quia dicta causa inuoluebat causam honoris suæ Illustris familiæ quam omni medio possibili deturpare conabatnr Reuerendissimum Capitulum Toletanum, causa autem honoris, & super statu Personæ est legitima ad hoc, vt Canonico absenti debeantur fructus, & distributiones Canonicatus, licet in Ecclesia non resederit *Archidiac., in cap. licet causam sub num.7. de elect. Rot. coram Vbald. dec.288. num.2.*, & proinde eo ipso quod Reuerendissimum Capitulum Toletanum Domino Principali commoranti in Vrbe ex causa litis quam habebat cum Reuerendissimo Capitulo fructus non persoluit contra ipsum relaxanda venit declaratoria, vt in speeie firmauit *Rota in dicta Wormaticen. Decanatus*.

11 Si verò agatur de fructibus debitis postquam Principalis ab Vrbe recessit, & se contulit tamquam Inquisitor Regni Murtiæ ad exercendum Munus Inquisitoris, vt ex *Summario Additionali numer.1. lit. I.* indubitatum est D. Principali fructus Canonicatus, & distributiones esse debitas, cum Inquisitores deputati à Generali Hispaniarum Inquisitore, quàmuis non resideant in suis Canonicatibus, tam de Iure, quàm ex Priuilegijs Apostolicis debentur fructus, & distributiones: De Iure quidem, quia cum absint ex legitima causa, & quidem publica, concernente bonum publicum, scilicèt conseruationem nostræ Catholicæ Religionis, vtique tamquam absenti ex causa iusta, & legitima, debentur fructus Canonicatus, & Præbendæ.

12 Debentur etiam fructus Canonicatus D. Principali tamquam Inquisitori Regni Murtiæ ex specialibus Indultis, & Priuilegiis concessis omnibus Inquisitoribus Deputatis ab Inquisitore Generali Regnorum Hispaniæ, vt de illis testantur Royas in singularibus fauore fidei *singular.96. Spin. de Testam. gloss.3. num.98. Villar de Patronat.4. par. in princip. num.8. Garz. de benef. par.3. cap.2. num.356. Escobar de purit. Sang. par.1. qu.4. §.6. num.71.* cum aliis plene relatis per *Barbos. de Canon., & dignitat. cap. 24. numer.2., & 3.* dictaque Indulta, quibus fruuntur Inquisitores contra Hæreticam prauitatem in Regnis Hispaniæ sunt notoria, & in vsu, & in eorum vigore omnes Inquisitores in dd. Regnis possidentes Canonicatus, & Præbendas in Ecclesiis Regnorum Hispaniæ, cum teneantur residere in suis Tribunalibus ad exercendnm Officium Inquisitoris, & non possint in Ecclesiis residere hinc lucrantur in absentia, & residendo in suis Tribunalibus fructus, & distributiones suarum dignitatum, & Canoniuatum perindè ac si residerent.

13 Si

13 Si verò iterum obiiciatur fructus Principali non deberi, vel quia non resedit in Scamno Patientia, vel quia non fecit primum residentiam, iam ista obiecta sublata fuerunt in præcitatis decisionibus super declaratoria, & prætensa remissoria, coram Reuerendissimo Ponente, quas impressas distribuimus: Neque alio modo D. Principalis consequi potest fructus decursos post captam sui Canonicatus Possessionem, nisi mediante declaratoria censurarum, declarando non esse paritum dictis litteris exequutorialibus, nisi persoluant fructus, & distributiones decursas, & faciant in actis obligationem soluendi in futurum, quoniam Reuerendissimum Capitulum iam alias animum suum declarauit, quod nollet quicquam Principali persoluere, nisi ex Iudicis mandato, & mediante declaratoria, prout exequutum fuit quoad fructus durante lite decursos.

Quare &c.

Vitus Angelus Caualleti.

R. P. D.

C O R I

Toletana Canonicatus super Declaratoria.

P R O

Illm̃o D.Don Iosepho Fernandez Iara Inquisitore Regni Murtiæ, & Canonico S.Ecclesiæ Toletanæ.

C O N T R A

Rm̃um Capitulum Toletanum.

Facti.

Typis Zinghi, & Monaldi 172[illegible]